

errore a vero devia, et illa semper existimans deridenda quae nesciat, sacrum volumen et augustissima irrisit naturae secreta. Colotes vero, inter Epicuri auditores famosior et loquacitate notabilior, etiam in librum retulit, quae de hoc amarius cavillatus est. sed cetera quae iniuria notavit, siquidem ad somnium de quo hic procedit sermo non attinent, hoc loco nobis omittenda sunt; illam calumniam persequemur, quae nisi suppletur manebit Ciceroni cum Platone communis. ait a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. cur enim, inquit, si rerum caelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quaesita persona casusque excogitata novitas et composita advocati scaena figmenti ipsam quaerendi veri ianuam mendacio polluerunt? haec quoniam, dum de Platonico Ere iactantur, etiam quietem Africani nostri somniantis incusant, resistamus urgenti, et frustra arguens refellatur, ut una calumnia dissoluta utriusque factum incolumem ut fas est retineat dignitatem. (Macr. in somn. Scip. 1, 1, 8—2, 5.)

SOMNIVM SCIPIONIS

⁹ (1) (SCIP.) Cum in Africam venissem M. Manilio consuli ad quartam legionem tribunus ut scitis militum, nihil mihi fuit potius quam ut Masinissam convenirem, regem ²⁵

1 semper om. Bamb. Ha. aestimans Bamb. ridenda Par. 3 secreta Kroll seria codd. 4 famosior et om. Bamb. notabilior om. Par. (add. m. 2) 5 cavillatus est Bamb. reprehendit Par., sed corr. m. 2 6 ad hoc somnium Bamb. 8 suppletur Par. 13 docere animarum Bamb. 13. 14 hoc et absoluta Bamb. 17 iactantur] iactanter ante corr. Par. notantur Bamb. 18 accusantur sed corr. in accusant Bamb. 23 Incipit somnium Scipionis vel Somnium Scipionis M. Tullii Ciceronis excerptum ex libro VI. de re publica vel sim. inscr. codd. M. Manilio Sigonius anicio manlio (vel manilio vel mallio) FCG a manlio BEMPRUW alia alii consuli Sig. consule 25 ante regem dist. Hauler

familiae nostrae iustis de causis amicissimum. ad quem ut veni, complexus me senex conlacrimavit aliquantoque post suspexit ad caelum, et: 'grates' inquit 'tibi ago summe Sol, vobiscum reliqui caelites, quod ante quam ex hac vita migro, conspicio in meo regno et his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine recreor ipso: ita[que] numquam ex animo meo discedit illius optimi atque invictissimi viri memoria.' deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra re publica percontatus est, multisque verbis ultro citroque habitis ille nobis est consumptus dies.

Post autem apparatu regio accepti, sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque eius non facta solum sed etiam dicta meminisset. deinde ut cubitum discessimus, me et de via fessum, et qui ad multam noctem vigilassem, artior quam solebat somnus complexus est. hic mihi — credo equidem ex hoc quod eramus locuti; fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui — Africanus se ostendit ea forma quae mihi ex imagine eius quam ex ipso erat notior; quem ubi agnovi, equidem cohorrui; sed ille: 'ades' inquit 'animo et omitte timorem Scipio, et quae dicam trade memoriae. videsne illam urbem, quae parere populo Romano coacta per me renovat pristina bella nec potest quiescere?' ostendebat autem Karthaginem de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco. 'ad quam tu oppug-

4 reliqui PUVVM² reliquis cet. 5 et in his HWY 6 recreor ipso V ic ipso recreor APTC² Cast. ipse recreor BC¹ EFGMRUW Hauler 7 ita vulg. itaque codd. 10 est consumptus AEGHLMPR consumptus est BFUVW est om. I ille dies nobis consumptus est C alia alii 12 sermonem . . . produximus Arusianus Messius IX 40 13 produximus noctem V 16 de via fessum Dresdensis 151 Arnstadiensis fessum de via G defessum via ic de via cet. codd. 17 hic ergo mihi HLMZ hic ego mihi W 19 fere] saepe CCU¹ pariter fere V 25 memoriae trade RY vic 28 ostendebat . . . 29 loco Macr. comm. 1, 4, 5 Kartaginem M carth. vel cart. cet. et Macr.

nandam nunc venis paene miles, hanc hoc biennio consul evertes, eritque cognomen id tibi per te partum quod habes adhuc hereditarium a nobis. cum autem Karthaginem deleveris, triumphum egeris censorque fueris, et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, 5 deligere iterum consul absens bellumque maximum conficies, Numantiam excindes. sed cum eris curru in Capitolium invectus, offendas rem publicam, consiliis 12 perturbatam nepotis mei. hic tu Africane ostendas oportebit patriae lumen animi ingeniique tui consiliique. sed 12 eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. nam cum aetas tua septenos octiens solis anfractus reditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque in 15 tuum nomen se tota convertet civitas, te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur, tu eris unus in quo nitatur civitatis salus, ac ne multa: dictator rem publicam constituas oportebit, si impias propinquorum manus effugeris.' 20

Hic cum exclamavisset Laelius ingemuissentque vehementius ceteri, leniter arridens Scipio: 'st! quaeso' inquit 'ne me e somno excitetis, et parumper audite cetera.'

13(3) 'Sed quo sis Africane alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto: omnibus qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur; nihil est enim illi principi deo, qui omnem mundum regit, quod 25

3 adhuc hereditarium a nobis W vic a nobis adhuc hereditarium F adhuc a nobis hereditarium *cet. et Hauler* Kart. M carth. R cart. BEFV 7 excides *Or. et codd. rec.* 10 ingenii que tui consiliique B ingenii que consiliique tui M ingenii consilii tui H ingenii consiliique tui *cet.* 11 nam cum . . . 20 effugeris *Macr. 1, 5, 2* 16 conferet *Zie.* 19 oportebit *ed. a. 1555* oportet 22 leniter AELMVYZ st *Ian et codd. (om. CW¹Y)* 23 e *om. / sup. scr. R a CWY* parumper *Bouhier* parum rebus *codd.* 25 Sed quo . . . 28 fruantur *Macr. 1, 4, 4, item 1, 8. 1 usque ad (129, 3)* revertuntur 26 conservarint Y *et Macr.* 29 principi illi HV

quidem in terris fiat acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur; harum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur.'

Hic ego etsi eram perterritus non tam mortis metu 14 quam insidiarum a meis, quaesivi tamen viveretne ipse 14 et Paulus pater et alii quos nos extinctos esse arbitramur. 'immo vero' inquit 'hi vivunt qui e corporum vinclis tamquam e carcere evolaverunt, vestra vero quae dicitur vita mors est. quin tu aspicias ad te ventem Paulum patrem?' quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi, ille autem me complexus atque osculans flere prohibebat.

Atque ego ut primum fletu represso loqui posse coepi, 15 'quaeso' inquam 'pater sanctissime atque optume, quoniam haec est vita ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero?' 'non est ita' inquit ille. 'nisi enim cum deus is, cuius hoc templum est omne quod conspicias, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. homines 20 enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur, iisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus quae sidera et stellas vocatis, quae globosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circos suos orbesque faciunt celeritate mirabili. quare et tibi Publi et piis omnibus retinendus animus est in custodia corporis, nec iniussu eius a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum adsignatum a deo 25

2 horum R earum *Macr.* 3 servatores *Macr.* 4 Hic ego . . . 6 arbitraremur *Macr. 1, 10, 1* tam] tamen *Macr. PBC* 7 immo . . . 9 mors est *Macr. 1, 10, 6* 9 dicitur esse vita *Macr.* aspicias *Hein. al. aspicias V aspicias cet.* 13 fletu hinc incipit T 14 quaeso . . . 130, 1 videamini *Macr. 1, 13, 3sq.* optume *Macr. BLM optime cet.* 17 enim cum deus is BEFGTUV *et Macr. (qui hic pro is)* enim deus is HLMRWZ *Hauler Kroll Mei. Bue.* enim deus C deus enim is, *sed sup. scr. cum R* 19 poterit B 21 templo hoc V *et Macr.* medio AFG¹GL¹MPTW¹ 22 iisque A *Ha.* hisque 24 circos H *et Macr.* circulos *cet.* 26 animus est BEMPW *et Macr. codd. plerique* est animus *CFRTUVY al.* 28 humanum *om. Macr., post assignatum (sic) pon. V*

16 defugisse videamini. sed sic Scipio ut avus hie tuus, ut ego
16 qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est; ea vita via est in caelum et in hunc coetum eorum qui iam vixerunt et corpore laxati illum incolunt locum quem vides — erat autem is splendidissimo candore inter flammam circus elucens —, quem vos ut a Graeis accepistis orbem lacteum nuncupatis. ex quo omnia mihi contemplanti praeclara cetera et mirabilia videbantur. erant autem eae stellae quas numquam ex hoc loco vidimus, et eae magnitudines omnium quas esse numquam suspicari sumus, ex quibus erat ea minima quae ultima a caelo, citima <a> terris luce lucebat aliena. stellarum autem globi terrae magnitudinem facile vincebant. iam vero ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri quo quasi punctum eius attingimus paeniteret.

17(4) Quam cum magis intuerer, 'quaeso,' inquit Africanus, 'quousque humi defixa tua mens erit? nonne aspicias quae in templa veneris? novem tibi orbibus vel potius globis conexa sunt omnia, quorum unus est caelestis, extumus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus arcens et continens ceteros; in quo sunt infixi illi qui volvuntur stellarum cursus sempiterni. huic subiecti sunt septem qui versantur retro contrario motu atque caelum. ex quibus unum globum possidet illa quam in terris Saturniam nominant. deinde est hominum generi prosperus et salutaris ille fulgor qui

1 diffugisse V et *Macr. Par.* sed ... 6 vides *Macr. 1, 4, 4*
2 cum sit magna V cum magna sit T 4 et ea uita CEFVL¹Z
5 uixere *Macr.* 6 erat ... 9 videbantur *Macr. 1, 4, 5 et 1, 15, 1*
usque ad (8) nuncupatis 7 circulus *Macr. plur. codd.* 8 ex
quo ... 14 vincebant *Macr. 1, 16, 1* mihi omnia W et *Macr.*
omnia ante mihi sup. add. U 9 cetera om. *Macr. 1, 14, 25 et sup.*
add. R 10 haec HL¹MUVWY hae BEF²T item jere l. 11
12 ex quibus ... 13 aliena *Prisc. 3, 4, 22* 13 add. I. Fr. *Gronovius*
15 vero add. CFL¹Z *Cast., om. cet.* 19 novem ... 131, 12 pondera
Macr. 1, 17, 2sq 20 caelestis est CF est om. EZ¹ 21 extumus
ABCEG et sup. scr. W extimus cet. 24 huic *Macr.* cui
codd. sunt om. GMPTUW sup. add. FR 25 unum codd. et
Macr. summum *Boll. cl. Firm. Mat. math. 1, 10, 14* 26 illa
<stella> *Meißner* deinde ... salutaris *Prisc. 6, 7, 34*

dicitur Iovis. tum rutilus horribilisque terris quem Martium dicitis. deinde subter mediam fere regionem Sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio, tanta magnitudine ut cuncta sua luce lustret et compleat. hunc ut comites consequuntur Veneris alter, alter Mercurii cursus, in infimoque orbe Luna radiis Solis accensa convertitur. infra autem eam iam nihil est nisi mortale et caducum praeter animos munere deorum hominum generi datos, supra Lunam sunt aeterna omnia. nam ea quae est media et nona, Tellus, neque movetur et infima est, et in eam feruntur omnia nutu suo pondera.

Quae cum intuerer stupens, ut me recepi, 'quis hic' inquam [quis] 'est qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus?' 'hic est' inquit 'ille qui intervallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium efficitur, et acuta cum gravibus temperans varios aequabiliter contentus efficit; nec enim silentio tanti motus incitari possunt, et natura fert ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. quam ob causam summus ille caeli stellifer cursus, cuius conversio est concitator, acuto et excitato movetur sono, gravissimo autem hic Lunaris atque infimus; nam terra nona immobilis manens una sede semper haeret, complexa medium mundi locum. illi autem octo cursus, in quibus

3 dux ... 4 temperatio *Macr. 2, 3, 3* 6 in om. *Macr. P*
8 eam iam *Zie.* eam *Macr.* iam codd. 13 quid hic ... 132, 4 locum
Macr. 2, 1, 2; cf. 2, 2, 21. 3, 12. 16 quis L²GRV quid cet.
et *Macr.* hic] hoc olim *Zie. cl. Planud. (τὸ τοῦτο) om. VV¹*
14 quis del. *Zie. (om. R), cf. Herm. 66, 299sq.* 15 hic ... imparibus
Fav. Eul. 19, 11, hic ... efficitur 20, 9 inquit ille cdd.
quid. coniunctus codd. disiunctus *Macr. et Fav. Eul.*
16 partium EFL²Y et codd. aliquot *Macr.* 17 impulsu eorum
ordinum *Fav. Eul.* 20 et ... 24 infimus *Macr. 2, 4, 1 et ...*
25 haeret *Boeth. inst. mus. 1, 27* extrema quaeque T 23 acuto
et CEFU¹VL²Z *Boeth.* acute et ABGMPTU²W acute *Macr.*
25 una] ima LMW et *Macr. codd. multi, sed 2, 4, 7 cjt. Ian*
medium locum mundi HLMWY mundi medium locum *Macr.*
26 illi ... 132, 3 est *Macr. 2, 4, 9*

eadem vis est duorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos, qui numerus rerum omnium fere nodus est; quod docti homines nervis imitati atque cantibus, aperuerunt sibi reditum in hunc locum, sicut alii qui praestantibus ingeniis in vita humana divina studia co-
 19 luerunt. hoc sonitu oppletæ aures hominum absurdue-
 runt; nec est ullus hebetior sensus in vobis, sicut ubi Nilus ad illa quæ Catadupa nominantur præcipitat ex altissimis montibus, ea gens quæ illum locum adcolit propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret. hic
 10 vero tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint, sicut intueri solem adversum nequitis, eiusque radiis acies vestra sensusque vincitur.'

19(6) Haec ego admirans, referebam tamen oculos ad ter-
 20 ram identidem. tum Africanus: 'sentio' inquit 'te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari; quæ si tibi parva ut est ita videtur, hæc caelestia semper spectato, illa humana contemnito. tu enim quam celebratam sermonis hominum aut quam expetendam conse-
 20 qui gloriam potes? vides habitari in terra raris et angustis in locis, et in ipsis quasi maculis ubi habitatur vastas solitudines interiectas, eosque qui incolunt terram non modo interruptos ita esse ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim
 25 transversos, partim etiam adversos stare vobis. a quibus expectare gloriam certe nullam potestis.

20 Cernis autem eandem terram quasi quibusdam redi-
 21 mitam et circumdatam cingulis, e quibus duos maxime inter se diversos et caeli verticibus ipsis ex utraque
 30

1 duorum *Macr. codd. plerique et LM²T²VW²YZ* modorum EM¹PR¹UW¹ duorum modorum F 8 cataduppa CEF²R¹VWZ præcipitatur EFLR²UV 9 locum *om. B¹MU¹Y ante illum post add. R* 20/21 gloriam consequi CEFPT 21 vides... 133. 10 vides *Macr. 2, 5, 1sq.* 22 in¹ *om. Y Macr.* 23 eosque EL²HP et *Macr.* hosque *cet.* incolunt L²VY et *Macr.* incolant *cet. codd. Somn. et Macr. P* 25 meare UV et *sup. scr. R* partim transversos *om. BEGMPRTUVW* 27 spectare BF¹GMR¹TUVW

parte subnixos obriguisset pruina vides, medium autem illum et maximum solis ardore torreri. duo sunt habitabiles, quorum australis ille, in quo qui insistunt adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus;
 5 hic autem alter subiectus aquiloni quem incolitis cerne quam tenui vos parte contingat. omnis enim terra quæ colitur a vobis, angustata verticibus, lateribus latior, parva quaedam insula est circumfusa illo mari quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis
 10 in terris, qui tamen tanto nomine quam sit parvus vides. ex his ipsis cultis notisque terris num aut tuum aut
 22 cuiusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc quem cernis transcendere potuit vel illum Gangem tranare? quis in reliquis orientis aut obeuntis solis ultimis aut
 15 aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis cernis profecto quantis in angustiis vestra se gloria dilatari velit. ipsi autem qui de nobis loquuntur, quam loquentur diu?

Quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum
 21(7) deinceps laudes unius cuiusque nostrum a patribus
 23 acceptas posteris proderet, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam adsequi possumus. quid autem inter-
 25 est ab iis qui postea nascentur sermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit qui ante nati sunt? qui nec pauciores
 22 et certe meliores fuerunt viri, praesertim cum apud eos
 24 ipsos a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo

2 duo sunt] duos *Or.* 4 nobis PR nostrum R et *Macr. P* 7 angusta H *Macr.* 8 est insula *Macr.* 9 quem] quod L²VWY et *Macr. codd. plerique* 13 transnatare EF²M¹PRUV 14 quis] uis P uix BGT et E (*sed corr. mg.*) vel quis HLMWY 15 audietur T 17 uobis CEF²R² loquuntur] loquentur AEGMLPWPYZ 19 Quin... 24 possumus *Macr. 2, 10, 1* 20-21 acceptas a patribus *Macr.* 22 certo tempore BR et *Macr. Bamb.* 23 non² *del. Gruter (om. iam U)* 25 ab iis PRT ab his *cet.* 26 iis PR his *cet.* 27 praesertim... 134, 13 conversam *Macr. 2, 11, 1* praesertim cum EHPRY et (*cum sup. lin.*) T et *Macr.* cum praesertim CFVU²L²Z cum *om. cet.* 28 nostrum nomen RIU nomen uestrum CF

unius anni memoriam consequi possit. homines enim populariter annum tantum modo solis, id est unius astri, reditu metiuntur; re ipsa autem cum ad idem unde semel profecta sunt cuncta astra redierint, eandemque totius caeli descriptionem longis intervallis rettulerint, ⁵ tum ille vere vertens annus appellari potest; in quo vix dicere audeo quam multa hominum saecula teneantur. namque ut olim deficere sol hominibus exstinguique visus est, cum Romuli animus haec ipsa in templa penetravit, quandoque ab eadem parte sol eodemque tempore ¹⁰ iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium stellisque revocatis expletum annum habeto; cuius quidem anni nondum vicesimam partem scito esse conversam.

²³ Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris, in ¹⁵ quo omnia sunt magnis et praestantibus viris, quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? igitur alte spectare si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dederis, nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum; suis te oportet inlecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. quid de te alii loquantur, ipsi videant; sed loquentur tamen; sermo autem omnis ille et angustiis cingitur his regionum quas vides, nec umquam de ullo perennis fuit, et obruitur ²⁵ hominum interitu, et oblivione posteritatis extinguitur.

²⁴ Quae cum dixisset, 'ego vero' inquam 'Africanae, si- ⁽⁸⁾ quidem bene meritis de patria quasi limes ad caeli aditum patet, quamquam a pueritia vestigiis ingressus patris et tuis decori vestro non defui, nunc tamen tanto ³⁰

2 loquulariter annum ABC^FGL¹MR¹WY annum loquulariter T 3 reditum AEFLMRTUVW¹YZ re ipsa autem cum *Macr.* cum autem *codd. Hauler Mei.* 5 descriptionem *Mue.* 7 saecula *plur. codd.* 8 omnibus BHLMRWY 10 quandoque] si quando EF²R² quando CZ ab *del. Zeunius* 11 idem *Macr., om. codd. plerique* 12 cuius AE et *Macr.* huius *cet. codd.* 16 sunt omnia BCV viris (plena) *Kroll* 19 contuere ABMPU 20 dedideris ABEPTU *Cast.* 23 sed] si *Wagenvoort* 24 iis *PR et edit. plerique om. T*

praemio exposito enitar multo vigilantius'. et ille: 'tu vero enitere et sic habeto, non esse te mortalem sed corpus hoc; nec enim tu is es quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura quae digito ⁵ demonstrari potest. deum te igitur scito esse, siquidem est deus qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps deus; et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeter- ²⁵ nus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. nam ²⁷ quod semper movetur, aeternum est; quod autem motum adfert alicui quodque ipsum agitur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. solum igitur quod se ipsum movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit; quin etiam ceteris quae moventur hic fons, nec principium est movendi. principii autem nulla est origo; nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest; nec enim esset id principium quod gigneretur aliunde; quodsi numquam oritur, ne occidit quidem umquam. nam principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit, siquidem necesse est a principio oriri omnia. ita fit ut motus principium ex eo sit quod ipsum a se movetur; id autem nec nasci potest nec mori; vel concidat omne caelum omnisque natura et consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur ²⁶ qua a primo impulsa moveatur. cum pateat igitur aeter- ²⁸

1 tu vero . . . 10 movet *Macr. 2, 12, 1* 2 vere EFHLPW 9 ut ille mundum EF²P et *Macr.* ut ipse mundum G ut (*add. W*²) ipse mundus AHLRTUWY ex *om. Macr.* mortalis GHLRTY 11 quod . . . 136, 6 aeterna est *Cic. Tusc. 1, 23, 53 et Macr. 2, 13, 1; cf. Plat. Phaedr. 245c; Herm. 66, 270 sqq.* 12 alicunde AEFLRTUVW 14 se ipsum movet *Tusc. Macr.* H sese movet ABGLTUV de se movet PRW² (se movet W¹) de se movetur CEFZ sepe *Mue. Cast.* 17 principii *Tusc. Macr.* H principio *cet. ex]* et AEGRe BVW *Tusc. Macr.* 20 numquam] non H *Macr.* ne A et B (*qui ne unquam quidem occidit et Tusc. nec cet.* 22 nascetur HT et *Macr. P* 26 et *om. HY Tusc.* consistat et *Macr. P* 27 a *om. Tusc.* pulsa F¹ impulsu EF²GLRTVWYZ et *Macr. codd. plerique*

num id esse quod se ipsum moveat, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? inanimum est enim omne quod pulsu agitur externo; quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo; nam haec est propria natura animi atque vis; quae si est una ex omnibus quae se ipsa moveat, neque nata certe est et aeterna est. hanc tu exerce in optimis rebus! sunt autem optimae curae de salute patriae, quibus agitur et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit, idque ocius faciet, si iam tum cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea quae extra erunt contemplans quam maxime se a corpore abstrahet. namque eorum animi qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus oboedientium deorum et hominum iura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec hunc in locum nisi multis exagitati saeculis revertuntur.

Ille discessit; ego somno solutus sum.

LIBRORVM DE RE PVBLICA INCERTORVM
FRAGMENTA

1. cf. p. 25, 6.

2. non nulli veterum etiam activo more tempus futurum imperativo modo ex verbis quoque passivae declinationis usurpaverunt, ut Tullius in dialogis de re publica nitito, cum 'nitor' sit positio verbi (Diomed. GL I 339, 31).

3. 'excello' legitur crebro apud veteres, ut Cicero de re publica excellunt (Diomed. GL I 374, 17).

4. Haec virtus in rhetoricis a Cicerone eadem ponitur quae sapientia. alibi vero, id est in libris de re publica,

1 se ipsum moveat H *Tusc.* ipsum se moveat *Macr.* a se ipso moveatur *codd.* 3 est animal] est anima HLPWYZ et e ras. E et *Macr.* P est animatum V anima est C 6 se ipsa H *Macr.* se ipsa semper *Tusc.* sese *codd.* sepe *Ha.* 7 hanc ... 18 revertuntur *Macr.* 2, 17, 2 in optimis CGHZ opt. in *cet.* 10 (eo) ocius *Mos.*

ab eodem Cicerone illa virtus dicitur quae prudentia. (*Victorin. explan. in rhet. Cic. p. 156, 4 Halm.*)

5. Fannio causa difficilis laudare puerum; non enim res laudanda sed spes est. (*Serv. Aen. 6, 875: rhetorice spem laudat in puero [Vergilius], quia facta non invenit. est autem Ciceronis in dialogo.*)

6. apud Ennium sic loquitur Africanus:

Si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquam est,

Mi soli caeli maxima porta patet,

scilicet quia magnam partem generis humani extinxit ac perdidit. o, in quantis tenebris Africane versatus es! vel (tu) potius o poeta, qui per caedes et sanguinem patere hominibus ascensum in caelum putaveris! cui vanitati etiam Cicero adsensit: est vero, inquit, Africane; nam et Herculi eadem ista porta patuit. (*Lact. inst. 1, 18, 11 sq.*)

7. eosdem libros (scil. de re publica) cum grammaticus explicuit, primum verba expressa reapse dici a Cicerone, id est re ipsa, in commentarium refert, nec minus sepe, id est se ipse, deinde transit ad ea quae consuetudo saeculi mutavit, tamquam ait Cicero: quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati. hanc quam nunc in circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant. deinde [v. p. 84, 11]. (*Sen. epist. 108, 32 sq.*)

8. v. p. 111, 17.

9. v. p. 79, 17.

3 Fanni editores 7 *Enn.* var. 23 V². 8 faciendo plerique *codd.* caelestium tres *codd.* 12 tu add. *Schoell* 18 reapse *Schweighäuser* ab se *codd.* 20 sepe *Muret* sese *codd.*, cf. p. 37, 20 26 omisi cum *Mue.* fragmenta ex *Amm. Marc.* 15, 5, 23; *Aug. civ.* 1, 15; *interpr. Hor. Cruq.* 4, 8, 17; *Petr. Mag. de polit. scient. in Maii Coll. Vatic. II 608 temere petita.*